

(*Matth.* xxi.) Et quisquam tam audax et desperatus invenitur qui possessiones Dei (a) ad certissimam perniciem suam occupet et invadat? O fideles Deo et vobis ipsis, nolite pro temporali abundantia divitiarum mereri sempiternam congeriem miseriarum, nec ultra decus animæ vestræ tam pestifero, tam inaudito, tam denique certo sacrilegio polluatis. Reddite Deo sua, ut vestra cum pace possideatis, tormenta evadatis æterna, et postmodum ad gaudium Domini nostri, ut servi fideles intromittamini. Sæculares honores sæculares possideant, ecclesiasticos ecclesiastici sortiantur. Nec nos insatiabilis cupiditatis arguatis, quia, qualescunque sumus, vera nos dicere nec ipsi nescitis. Et, licet pauci, sunt tamen (b) aliqui nostrum Deum timentes, qui juxta illud propheticum exaudiantur: *Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet* (*Psal.* cXLIV). Quia omnium finis quotidie appropinquat; et quæ videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna. Si volumus evadere præsentis calamitates et futuras evitare miserias, in commune a nostris

(a) *Certissimam perniciem.* Lupus in epistola 55, loquens de Adulpho comite, qui Cellam Judoci possidebat « Is languere dicitur, inquit, nec tam periculose ut vel admonitus corrigatur, quod optarem; nec tam graviter ut moriatur, quod propter ejus certissimam damnationem doleremus. »

(b) *Aliqui nostrum.* Lupus epistola 42, ad Hinemarium, pro recuperatione ejusdem Cellæ: « Fecerit hoc mea utilitas. Cur tantorum virorum, qui mecum Deo serviunt, est contempta sanctitas? Vestro admonitu nosse debet, esse inter nos aliquos de quibus merito Scriptura testetur: *Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet.* »

(c) *Perversorum consortia.* Lupus in epistola 64, est exhortatio ad Carolum regem: « Vitate malorum societatem, quoniam, ut scriptum recolitis, *corrumpunt bonos mores colloquia mala.* »

(d) *Petere audeat.* Lupus in eadem epistola 64: « Concipite honestam veritatem, ut quod vos non decet præstare nemo scienter a vobis audeat postulare. »

(e) *Nec timeat iratos.* Lupus in eadem epistola 64: « Ne metuatis potentes, quos ipsi fecistis, et quos cum vultis, extenuare potestis. Ne confidatis in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus. Sed transferte spem vestram ad Deum qui fecit

pravitatibus ad Dominum convertamur, et declinantes a malo, faciamus bonum, ut bona Domini mereamur videre in terra viventium (*Psal.* xxv; *I Petr.* iii; *Psal.* xxvi). Tu autem, clarissime rex, quia verissime scriptum est: *Corrumpunt mores bonos colloquia mala* (*I Cor.* xv), fuge (c) perversorum consortia et consilia, nec a te quisquam (d) petere audeat quod majestatem tuam præstare non deceat. (e) Nec timeas iratos homines, hoc est terram et cinerem, amplius quam Deum, qui te creavit, quique in veritate judicabit; cujus voluntatem si perfecte secutus fueris, credimus quod quorumlibet hominum te (f) contumacia liberabit, et omnibus angustiis clementer eripiet, ac post hoc temporale regnum ad perpetuum cumulata felicitate perducet. In fine omnes alloquimur, quod si nostris salutaribus acquieveritis consiliis, vestro profectui plurimum congratulabimur. Si autem nos, imo Deum per nos loquentem contempseritis, (g) necessitate implendi ministerii quod nollemus facere compellemur.

cælum et terram, qui custodit veritatem in sæculum. »

(f) *Contumacia liberabit.* Lupus in eadem epistola 64: « Hæc studiose custodientes, Deo et bonis quibusque placebitis, rebelles Deo, ut credimus, pro vobis pugnante, comprimatis atque vincetis, et post regnum temporale atque laboriosum, consequemini sempiternum et vere quietum. »

(g) *Neces. impl. min.* Sic Patres synodi universalis habitæ apud Saponarias anno 859, scribentes ad episcopos Britonum de reverentia quæ ab iisdem episcopis debebatur metropolitanis Turonensi Herardo, aiunt in fine: « Verum si, quod non optamus, ab ejusdem metropolitana sollicitudine ulterius resilieritis, et nostris ex charitate manantibus exhortationibus vos constituerit reluctari, ministerii necessitate canonicam in vos cogemur proferre sententiam. » Qua nimirum *ferro necesse est excindantur vulnera*, ut ad Himerium scribit papa Siricius, *quæ fomentorum non senserint medicinam*, id est, ferro excommunicationis, ut interpretatur Julianus Pomerius. Sed de moderatione et sapientia antiquorum episcoporum in adhibendo ferro excommunicationis nos olim pluribus agemus in notis ad epistolam Ruricii episcopi Lemovicensis. Neque inutile tum fuerit altius scrutari an per illas tempestates explicata in hoc fuerit auctoritas episcopi Romani.

B. SERVATI LUPI

ABBATIS FERRARIENSIS

^a LIBER DE TRIBUS QUÆSTIONIBUS

205 JACOBI SIRMONDI PRÆFATIO

De duobus sequentibus opusculis et de nomine auctoris.

De auctoris nomine hoc primo, Lector, statuendum est, non Lupum Servatum, ut cum Sigeberto et

(a) Magnum his quindecim annis certamen fuit in-

D Trithemio plerique hodie vocant, sed Servatum Lupum, quod veteres libri et aliorum exempla docent, ter eruditos, Lupine Ferrariensis abbatis essent Li-

dici oportere. Quomadmodum enim in Cæcilio Cypriano, Eusebio Hieronymo, Aurelio Augustino, Sulpitio Severo, et similibus nemo ambigit quin id verum ac proprium cujusque sit nomen quod posteriore loco ponitur, sic in hoc Lupi nomen idcirco postponendum esse quia proprium est. Qua de re dictum aliquando a nobis est in notis ad Sidonium, nec repeti est opus.

Libri ergo de tribus Quæstionibus, qui primum hic locum tenet, tria in manus nostras venerunt vetera exemplaria, unum Vir dunense, quod penes nos est, alterum Metense S. Arnulfi, tertium S. Victoris Parisiensis; quarti apographum tantum vidimus a Silviniacensi Cluniacensium monasterio. Sed, quod mireris, in Metensi non Lupo, sed Hincmaro episcopo tribuebatur; in Silviniacensi ascriptum erat nomen Amalarii, ex eo, ut opinor, quod in eodem codice post Amalarii Opera sequebatur. In Vir dunensi autem et in Victorino 200 vera fuit inscriptio, *Servati Lupi de tribus quæstionibus liber*.

Collectanei de iisdem Quæstionibus cum unicum exemplar, idque anepigraphum et mutilum, habemus ex bibliotheca Corbeiensi, quod in cæteris omnibus desideraretur, commode ad nos V. C. et humanissimus J. Bouherus, senator Divionensis, integrum alterum ex sua depromptum misit hac in-

ber et Collectaneum de tribus Quæstionibus, an vero Servati Lupi presbyteri, sed qui diversus fuerit ab abbate Ferrariensi. Mihi vero ista consideranti, plane constat hæere interdum aquam viris doctis, in rebus etiam nullius momenti, quod in hac causa contigisse puto. Nam si cui liberet libellos illos conferre cum epistolis Lupinis, ingerentem se oculis veritatem respuere non posset, neque invitus fateretur stylo eodem scriptos esse libellos, quo scriptæ sunt epistolæ. Quod magis perspicuum fore puto, si phrases similes, ac Lupo Ferrariensi familiares, ex epistolis descripsero, quibus usus est auctor libellorum: id quod faciam in notis sequentibus. Nam quod quidam permoventur auctoritate Trithemii, qui Lupum Servatum presbyterum anno 851 diem suum obiisse scribit, adeoque eum distinguere videtur a Lupo Ferrariensi, ea auctoritas non est tanti momenti ut quemquam remorari debeat, præsertim si quis rem altius scrutetur, ipsaque Trithemii verba expendat. Etenim, si Lupus ille ad quem Rabanus scripsit octo libros in Epistolam Pauli ad Romanos, is ipse est auctor libri de tribus Quæstionibus, negari non potest quin ea lucubratio restituenda sit Lupo abbati Ferrariensi. Nam is adhuc monachus et diaconus, ab Aldrico abbate studiorum causa missus ad Rabanum, ut in sacrarum Scripturarum doctrina informaretur, auctor Rabano fuit ut commentarium ederet, in Epistolas Pauli, ut ex ipso Rabano colligi potest in epistola ad Samuelem episcopum. Lupum autem illum longo intervallo disjunctum fuisse a Rabano, cum hic commentarius scriptus est, patet ex epistola Rabani ad Lupum. Quoniam vero ex ea quam diximus epistola ad Samuelem colligitur Lupum monachum et diaconum ad altiorem gradum a diaconatu fuisse provectum cum ea epistola scripta est, manifestum esse reor hinc probari, hic agi de Lupo quondam monacho et diacono, postea vero presbyterio et abbate Ferrariensi. Nam eum fuisse presbyterum produnt Acta synodi Suessionensis quæ anno 853 habita est. Tum

A scriptione, *Collectaneum Servati Lupi de tribus Quæstionibus*. Quo nos freti argumento, cum ante triennium editionem hanc curarem, uni eidem Lupo utrumque opus, etsi exploratum non erat, ascribi passi sumus.

De duabus epistolis quæ restant (a), quarum quæ ad Hincmarum scripta est, in Vir dunensi codice atque in Elnonensi priorem locum obtinet; altera vero, quæ ad Carolum regem, in codice Corbeiensi Collectaneum antecedit, in Divionensi subsequitur, cum in utraque auctor Lupum tantummodo se nominet, si quis has ad Lupum Ferrariensem potius referendas contendat, cujus ad eosdem aliæ exstant epistolæ, prima et postrema compellatione non absimiles, liberum per nos erit iudicium.

Quinimo, ut dicam quod sentio, ad Lupum eundem superiora quoque opuscula pertinere nostra dudum conjectura fuit, quam nunc etiam id maxime confirmat quod Servato huic prænomen fuisse docet ipsius ad Nicolaum papam epistola Wenilonis, ut apparet, Senonensis episcopi nomine scripta de Herimanno Nevernensi: quæ nimirum in Floriacensi codice sic habet:

Scriptum Servati Lupi ad papam Nicolaum.

«Sugerimus mansuetissimæ paternitati vestræ,» etc. *Exstat inter epistolas, num. 130.*

falsum est quod ait Trithemius, Gotteschalcum in synodo Moguntina victum et confutatum fuisse a Lupo Servato. Nam hi libelli non aliam ferme doctrinam continent, quam eam quam Gotteschalculus tuebatur. Itaque ex eo colligi potest quam certa sit fides rerum a Trithemio proditarum. Nam quod eum tradit migrasse ad Dominum anno 851, conjectura ejus haud dubie fuit. Quod si quis tamen præfracte velit Lupum quemdam presbyterum anno 848 interfuisse synodo Moguntinæ, quid vetat quin tum Lupus abbas Ferrariensis illuc accessisse dicatur, ut Rabanum inviseret, præceptorem quondam suum? Et fieri potest ut legatus Caroli Calvi fuerit apud Ludovicum regem Germaniæ. Habemus enim ex Annalibus Fuldensibus, in ea synodo sive conventu adfuisse legatos fratrum ejusdem Ludovici, Caroli videlicet et Lotharii, ab eoque auditos et absolutos fuisse. Demum, ne quem moveat insolens Servati Lupi nomen, habemus ex epistola 130 (ut observavit Sirmondus) id esse verum nomen Lupi abbatis Ferrariensis. Negari enim non potest quin ea epistola, ut pleræque aliæ, nomine Wenilonis archiepiscopi Senonensis ac suffraganeorum ejus scripta sit a Lupo abbate Ferrariensi. Et tamen vetus codex Floriacensis, unde ea descripta est, hæc in titulo illius epistolæ habet: *Scriptum Servati Lupi ad papam Nicolaum*. Ut deinceps dubitandum non sit de nomine Lupi, post tanti viri conjecturam vetusti codicis auctoritate firmatam. Placuit præterea clarissimo præsidi Mauguino, Collectaneum quidem esse opus Lupi abbatis Ferrariensis, sed librum esse Lupi presbyteri Moguntini. Sed præterquam quod nec ipse Trithemius docuit undenam hic Lupus fuerit presbyter, adeoque tametsi daremus diversum esse a Lupo Ferrariensi, nondum tamen constaret fuisse presbyterum Moguntinum; adeo mihi similes videntur hæc duæ lucubrationes, ut existimem ovum ovo non esse similius, adeoque unam ex alia esse compositam.

(a) Edita sunt supra num. 12, 129.

207 INCIPIT LIBER

Quæ nobis utilia judicamus, si communicamus cum aliis, Deum nullo renitente promeremur, cujus

præcepto devoto respondemus obsequio; et si quod jam accepimus sincera benevolentia impertimur.

quæ necdum accepimus ejus munere consequemur. Hæc mecum reputans, cum post devictas persecutiones et falsas opiniones jam inde ab initio incarnationis Domini exortas, octingentesimum quadragesimum nonum ab eadem incarnatione agente annum Ecclesia in pacc quam ei reliquit Salvator, cum ea futurus juxta suæ pollicitationis fidem usque ad consummationem sæculi, comperissem (a) primum in Italia, deinde in Gallia, si non concuti fidem, turbari certe quorundam intentionem, quod de libero arbitrio et de prædestinatione bonorum et malorum ac de sanguinis Domini taxatione vulgo quædam inaudita jactarentur, harum rerum 208 qui per se non possent, optavi ut per me fierent certiores. Hic in auxilium invocato Deo, a quo non esse solum sed etiam nosse percepimus, ad ejus primum auctoritates, quibus omnium consensus fidelium acquiescit, me contuli. Deinde quid earumdem clarissimi tractatores et defensores invictissimi super memoratis quæstionibus sensissent anxie diuque scrutatus sum; quorum sole clariora opera divinis irradiata eloquiis si omnes vel intelligerent vel haberent, jure deberem superfluitatis aut arrogantiae argui, qui vel eadem verbis aliis ingessissem, vel quod ipsi non valuissem me implere posse considerem. Cum vero utrumque multis, alterutrum quibusdam, neutrum forte nonnullis obtigerit, alterum vel neutrum habentibus sic adesse contendam ut utrumque possidentes, si tamen sua cognitione hæc mea, qualiacunque sunt, digna duxerint, non offendam. Itaque mihi nihil, Deo plurimum, quod proposui hinc expedire conabor.

Rerum omnium opifex Deus, loci temporisque ac per hoc totius mutabilitatis expers (neque enim concluditur loco qui continet omnia, nec vero accessu temporis augetur qui nequaquam temporali

(a) *Primum in Italia.* Ex hoc loco confici posse puto Lupum in Italiam profectum esse anno 849, ut legationem obiret, quam jussu Caroli regis susceperat, ad Leonem IV papam; cujus meminit ipse in epistola ad Benedictum papam, quæ est centesima tertia.

(b) *Opinionem conjug. commercii.* Respicit ad subdolam Sadducæorum interrogationem: qui resurrectionis inimici eum essent, quam Christus inter homines agens frequenter inculcabat, eum: interrogaverunt de ea quæ septem maritos habuerat, cujus tandem ex iis futura esset uxor post resurrectionem. Quibus divine admodum respondit Jesus, nullum post resurrectionem futurum matrimonium. *Neque nubent, inquit, neque nubentur.* Quo dicto, opinionem conjugalis commercii in resurrectione removit, ut ait Lupus. Extat historia apud Matthæum, Marcum et Lucam.

(c) *Ad imaginem suam.* Existimarunt plerique veterum, imaginem Dei, quæ in homine esse dicitur, in anima collocatam, non autem in corpore: imago enim incorporei, corpus esse non potest, ut ait Claudianus Mamertus in libro III de statu Animæ, cap. 16. Unde concludit Cassiodorus in capite octavo libri de Anima, animam hominum ideo esse immortalem, quod ad similitudinem Dei facta sit. *Nam quemadmodum, inquit, poterat esse imago aut similitudo Dei, si animæ hominum mortis termino clauderentur? Quin et Augustinus in libro de Hære-*

A primordio cohibetur, omnia creaturæ rationes sempiterna apud se immutabilitate custodiens, spiritalem creaturam tantum tempori, corporalem autem non tempori modo, verum etiam hoc loco fecit obnoxiam. Siquidem subjectam se tempori spiritualis natura ostendit, quæ bene, utpote a bono Deo, condita, partim suo se vitio depravans in veritate non stetit, atque ideo corrui, partim conditori pia subjectione adhærens, et quod lapsus esset capax aperuit, et ne 209 ultra laberetur compos tantæ felicitatis accepit. Namque Redemptor, cum in resurrectione (b) opinionem conjugalis commercii removisset, nequaquam nobis angelorum spondisset æqualitatem, si in eis peccandi aut consequenter cadendi suspicio remansisset. Qui enim feliciore quam nunc sumus donaremur conditione, nisi emense mortalis vitæ discrimine in tanta beatitudinis collocaremur securitate ut ultra nec peccare possemus nec velle peccare? Porro corporis natura et cepit ex tempore, et augmentis decrementisque, sine conversionis in alia facultate, mutabilitatis vices, quæ cuncta fiunt in tempore, confitetur. Loco vero subjectam non dubitat qui omne corpus longitudine, latitudine, atque altitudine constans, quod solidum appellatu, non nisi loca semper contineri considerat. Utriusque autem naturæ, hoc est, et spiritualis et corporalis, proprietatibus Deus artifex observatis, hominem ex anima compegit et corpore, sicut eodem revelante qui fecit accipimus. Verum animam illi fecit (c) ad imaginem suam, quia tametsi cepit ex tempore ut creatura, sempiterna autem ut Deus pro suo modulo permanebit; vel quia rationis ei et intellectus participium quemadmodum sanctis angelis contulit; corpus autem non usquequaque cæteris animalibus formavit dissimile, nisi quod illa (d) in alvum prona, id autem erectum instituit, cujus fide

sibus ad Quodvultdeum, inter hæreses numeratarum sententiam, qui aiunt *corpus hominis, non animam, esse imaginem Dei.* Hi fuere Homuncionitæ, ut docet auctor libri, cui *Prædestinatus* nomen Sirmondus fecit, lib. 1, cap. 76. Videant porro sapientissimi theologiæ magistri an hæc opinio conveniat cum placitis philosophorum, qui aiunt hominem constitui ex anima et corpore; hoc est animam solam non esse hominem, neque item corpus solum. Atqui Deus fecit HOMINEM ad imaginem suam. Tertullianus tamen, vir humanæ divinæque philosophiæ præceptis haud dubie imbutus, existimat animam etiam solam constituere totum hominem. Hæc sunt ejus verba ex capite primo libri de testimonio animæ: « Novum testimonium advoco, imo omni litteratura notius, omni doctrina agitatus, omni editione vulgatus, tota homine majus, id est, totum quod est hominis. Consiste in medio anima, » etc. Vide paulo infra quæ afferuntur ex Maximo Tyrio.

(d) *In alvum prona.* Ovidius lib. 1 *Metamorphoseon*:

Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit.

Lactantius lib. II *divinarum Institut.*, cap. 1: « Nam cum cæteræ animantes pronis corporibus in humum spectent, quia rationem ac sapientiam non acceperunt, nobis autem status rectus, sublimis vultus ab artifice Deo datus sit, » etc. Maximus Tyrius in

servitio ad capessenda superiora auctori sui nutibus A obediens anima uteretur. Quantum vero præstet corpori anima etiam (a) gentilis auctor conatur exprimere, cum de utroque loquens, *alterum nobis*, inquit, *cum diis, alterum cum belluis commune est*. Ita factum hominem 210 primum Adam cum Eva conjugæ, quam, mirabile dictu, de costa illi dormienti subtracta Deus produxit, in paradiso voluptatis, ut sacræ litteræ testantur, constituit, eumque, suppetentibus omnibus ad usum necessariis, non molesto labore damnavit, sed otiantidædium ablata ei facultate operandi removit. Ne autem nesciret homo ei se debere subjectionis et obedientiæ vicem, a quo et esse acceperat, et bene esse nullis contra votum reluctantibus animæ corporisve motibus feliciter capiebat, concessis ei Deus ad escam universis pomorum paradisi generibus, uno prohibuit ligno, B quod scientiæ boni et mali nominavit. Et quoniam spes impunitatis magna est (b) peccandi illecebra, præcepto interminationem pœnæ addidit, moriendum eis confirmans qua die ex ligno quod vetuerat comedissent. Summa erat observandi jussum facilitas, quando ad id violandum nec ulla necessitas invitabat, nec hostis, qui solus diabolus erat, vim ullam inferendo impellere poterat. Jam ipse superbiendo ceciderat, jam quod ipse merito perdiderat hominibus posse contingere invidebat. Quid faceret qui nec semel conceptam malitiam deponere nec hominem nisi acquiescentem, nisi consentientem, nisi volentem posset dejicere? Auctor mali proprii, reparator alieni, serpente induitur, et cum divinæ jussionis non causa scrutanda sit, sed exsecutio maturanda, C quod se quærere simulat, rudes quærere instigat, cur videlicet eis omnium pomorum Deus usum non

dissertatione 38: « Nec improbandum eorum videtur consilium qui humanam deorum imaginibus formam affigunt. Anima enim hominum Deo vicina, Deo simillima est. Nec æquum videtur rem sui simillimam deformi includere corpori voluisse Deum; sed quod animam facillime circumferret immortalē, leve, motui aptum, quodque solnm omnium quæ in terra sunt corporum caput in cælum attolleret, venustum, alacre, apte compositum. » Ruricius, Lemovicum meorum episcopus, lib. II, epist. 42: « De omnibus animalibus solus homo sublimis creatus est et effectus. »

(a) *Gentilis auctor*. Id est Sallustius, cujus ea sunt verba in initio libri de Conjuratone Catilinæ: « Sed nostra omnis vis in animo et corpore sita est. Animi imperio, corporis servitio magis utimur. Alterum nobis cum diis, alterum cum belluis commune est. » Hunc porro Sallustii locum laudat etiam Lactantius lib. II divina Instit. cap. 12, et in capite primo libri de Opificio Dei, itemque Ennodius lib. VI, epist. 3. Imitatusque est Sallustium Faustus Reiensis in epistola 6, quæ ad Ruricium Lemovicensem episcopum scripta est.

(b) *Peccandi illecebra*. Agnosco ingenium Lupi Ferasiensis, dum ait impunitatis spem esse magnam peccandi illecebram. Sic in epistola 126 dixit ad tantam sua ætate libertatem vitia prorupisse, ut vindicata impunitate apertis quibusque nec Deum quisquam, nec regem, nec episcopos timeret, ita ut (quemadmodum idem Lupus ait in canone secundo concilii Vernensis) longa licentia assuefacti mortales impune se peccare posse considerent. Et in epi-

permisisset promiscuum. Respondente muliere, quam faciliorem falli callidus explorator deprehenderat, ne forte morerentur, incautam a vera 211 sententia deduxit, et in falsam quod non essent morituri protinus induxit: adjecto eo, (c) scire Deum quod si comedissent unde prohibiti essent, mox aperirentur oculi eorum, similesque diis existerent. Scilicet ut numerositate deorum saltem eorum fidem corrumpere, si ad inobedientiam tentati gulæ vitio non cessissent. (d) Capta mulier, cum hostis male dulcoratis alloquiis, tum etiam interdicti pomi immodica venustate, prior comedit, et viro ut comederet persuasit. Mox uterque non anima solum, sed et corpore occidit, quando inevitabilem moriendi necessitatem contraxit. Et quia peccati mortem, unde liberum ei fuerat abstinere non exhorruit, ad persolvendam mortem corporis nolens quandoque pervenit. Mortuum sane hominem statim ut vetitum præsumpsit non mirabitur qui ferali vulneris saucium vel irremediabiliter veneni contagio jam corruptum non perperam dici mortuum recordetur propterea quod tam certa mors impendeat sic affecto ut nulla spes effugii valeat inveniri. Istius quoque sententiæ Apostolus auctor est qui ait: *Corpus mortuum est propter peccatum* (Rom. VIII). Habet scilicet moriendi necessitatem, quam non habuit ante peccatum. Ita quippe conditus fuerat Adam ut posset non peccare, si vellet, et posset non mori, nisi peccasset. Verum ubi ei solum non suffecit bonum, nisi etiam mali caperet experimentum, et voluntatem ad peccandum convertit, posse non mori amisit, et non posse non mori incurrit. Ita sero scientiam boni obedientiæ quam sponte deseruit sensit, et scientiam mali, quam impia curiositate affectavit, invenit.

stola 64 ait in aliorum impunitatem semper peperisse vitiorum incrementum. Sic Tacitus in libro XV Annalium dixit impunitatis cupidinem magnis semper conatibus adversam fuisse. Cicero libro II de Finibus: « Quæ libido se non propriet ac projiciet, aut occultatione proposita, aut impunitate, aut licentia? » Hugo Falcandus in libro de rebus Siculis, pag. 122, insurgens adversus Gaytum Petrum, quem ait impune reginam totamque curiam offendisse, perturbasse, et magnis objecisse periculis, addit: « Neque mirum, cum ipsa facinorum impunitas audendi quidquid libitum fuerit præstet illi fiduciam. » Matthæus Parisius anno 1265 describens quoniam modo quidam frater ordinis Minorum, nomine Mansuetus, in Angliam missus a papa abuteretur potestate sibi concessa, absolvens quoscunque pro libitu, vel excommunicatos, et falsidicos, et perjuros, « unde, inquit, multi rei audaciam sumpserunt delinquendi. Nam facilitas veniæ peccandi parit occasionem. »

(c) *Scire Deum*. Legendum arbitror, *scire eum*, id est diabolum. *Eum* pro se. Sic enim postulat sensus. Quasi diceret: Adjecit diabolus, scire se, quod si Adam et Eva comederent prohibitum pomum, mox aperirentur oculi eorum, fierentque similes diis.

(d) *Capta mulier*. Imitata videtur hæc narrationis istius portio ex Petronio, apud quem sic habetur: *Ancilla vini cibique odore corrupta, primum ipsa porrexit ad humanitatem invitantis victam manum: deinde refecta potione et cibo, expugnare dominæ pertinaciam cœpit.*

Quod nunquam enim veritus fuerat, ultricem **212** A comitemque peccati concupiscentiam sensit, membrorum scilicet genitalium appetitum, quem ita exhorruit ut ad pudoris remedium velamen quæret foliorum, ita adamavit ut ad justum damnationis iudicium importunam ejus illecebram nec si vellet (a) vitare sufficeret. Quod itaque peccare posset si vellet, peccando publicavit; quod vero posset etiam non peccare si vellet, conditor patefecit, qui comminatus pœnam, ne peccaret præmonuit. Habuit ergo Adam liberum voluntatis arbitrium et ad bonum et ad malum; sed ad bonum divino munere adjuvandum, ad malum autem divino iudicio deserendum. Quemadmodum enim non adjuvaretur in bono ab eo qui vita esset animæ ejus, ut anima corporis ejus? Denique si *anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech. xviii*), ut prophetica præscribit auctoritas, consequens est ut vivat quæ bene gesserit vivificante Deo vita ipsius. Liberum autem hominis arbitrium in malo idcirco fuerat divino iudicio deserendum; quia cum illi æqua facultas boni malique constaret, nulla indigentia, nulla violentia, voluntatem ad malum inflexit, dum præceptum Dei sui observatu facillimum, a quo se tanta bona percepisse videbat, sacrilega impietate quasi suspectum contempsit, et hostis ignoti, cujus in nullo penitus indigebat, incitamentum, non solum ad examen Dei non retulit, verum audaci temeritate quasi profuturum excepit. Justissime igitur in illo hæsit quod sponte elegit. Et quia, ut Apostolus asserit, *in eo omnes peccaverunt* (*Rom. v*), in omnibus ejus vitiosa est natura ex utroque sexu progenitis, ut ad male agendum, qua-
C tenus tamen progredi permittimur, sit nobis ut illi liberum **213** arbitrium, ad bene autem operandum nequaquam sit liberum, nisi fuerit Dei gratia liberatum. In primo parente nostro, qui utinam stetisses, omnes peccando cecidimus, et omnes communi merito atrocissima quidem sumus sed justissima pœna damnati. Non fuisset homo ingratus ei qui se fecerat, obtemperasset conditori, non seductori, nolisset esse nisi quod vellet qui eum potentia fecerat, clementia gubernabat. Verba hostis, quæ forinsecus per serpentem sonuerunt, sacra revelante Scriptura, cognovimus: quæ vero intrinsecus menti humanæ suggestionis molimina admo-
D verit, tametsi indubitanter non valemus comprehendere, tamen probabili conjectura possumus æstimare. Siquidem diabolus misit in cor ut traderet Dominum Judas, non palam vocibus perstrependo, verum clandestinis avaritiæ facibus miserum accendendo. Celsitudinem similitudinis Dei superbiendo diabolus concupierat; jamque alieni appetens, sui gradus dignitate deciderat. Dumque hanc nec vellet

(a) *Vitare sufficeret.* Valerius Maximus lib. ix, cap. 1: « Blandum etiam malum luxuria: quam accusare aliquanto facilius est, quam vitare. » Ruricius lib. ii, epist. 42: « Et ideo vide quod malum sit, frater charissime, quod, dum detestatur, admittitur; dum refugitur, vix vitatur. » Eam ob causam Pseudo-Plautus dixit in Querolo, adulterium

recuperare nec posset, habituro invidit, et fortasse priusquam verba ederet, incautum qua perierat peste corruptit. Quomodo enim ad capiendum cibum exterius tam cito acquievisset, nisi ad obtinendam propriam libertatem tumuisset ante interius? Quomodocunque contigerit, auctor nostri generis suo, ut palam est, vitio cecidit. Et quoniam in eo omnes peccavimus, omnes nos in lapsum ejus ruina procul dubio secum traxit. Atque cuilibet sicut possibile est cum voluerit in foveam se præcipitare, quæ sit ampla nec scabra tamen crepidine, cum vero egredi voluerit non valebit, nisi (b) extrariis nisibus adjuvetur, ita primus homo sponte **214** quidem cecidit, in quo ipsi originaliter lapsi sumus, sed cœno peccati nos, etiamsi volumus, expedire non possumus ut resurgamus, nisi prostratos extrahat et erigat gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Voluntarii criminis tantum malum non hominem primum modo, sed universam etiam ejus sobolem, sexus utriusque copula manantem, merito damnationis obstrinxit; quam, cum eadem causa sit omnium, communiter omnes paterentur, quippe qui non Deo, sed diabolo auscultaverint omnes. Nec hinc oriretur justa conquestio æquitate servata præterquam quod mererentur nullis recipientibus, nisi esset Deus, quemadmodum incomparabiliter justus, ita ineffabiliter pius, imo ut verbo nostrarum Scripturarum utamur, quo colligimur, quo salvamur, misericors. Cum itaque suo merito pereundum esset omnibus, plures divina bonitate salvantur. In his agnoscamus et amplectamur misericordiam ejus; et ut his aggregari mereamur supplicii observantia mandatorum ipsius et precibus assiduis flectamus indulgentiam ejus. Cum vero itidem plures damnantur, non reprehendamus, quia merito suo juste damnantur; sed pertimescamus iudicium ejus qui est terribilis in consiliis super filios hominum, nosque paria merentes miremur potuisse salvari: ut horum consideratione ferventius accendamus ad amandam, laudandam, prædicandam misericordiam ejus. His constitutis et fideli assensu retentis, nemo sobrie sapientium erit nesciens non esse Deum auctorem causamque perditionis homini, quem et rectum condidit, et posse, si vellet in suo statu manere monendo monstravit. **215** Namque necdum erat ejus vitiosa natura ut vel scienda nesciret, vel impediende difficultate cognita implere non posset. Nimirum sibimetipsi homo, aut ex seipso, aut ex diabolo, malum concepit et peperit, dum a se divinam amoliendo reverentiam deceptorum credidit, et cibum usurpando illicitum capitale crimen commisit. Istud, istud plane mortalium generi omnium causa fuit malorum. (c) Peccatum siquidem pœna con-

crimen non esse. Tum addit: « Hoc est quod nec permitti nec prohiberi potest. »

(b) *Extrariis.* Sic in epist. dicit *extrarii hostes.* Extrarius autem idem est qui extraneus, et externus.

(c) *Peccatum pœna consequitur.* Salvianus in libro primo de Gubernatione Dei: « Quod potuit majus

sequitur; et quidquid non consumit remittendo præsens misericordia, rependit (a) ulciscendo quandoque repræsentata justitia. Sed insurgat aliquis ex numero mordaciter querulorum et dicat: Non fecisset Deus hominem, quem peccatum sciebat. Quanto rectius diceret: Non fecisset homo quod summa facilitate vitare poterat peccatum, quo se, si verbis Dei fidem habebat, cognoverat moriturum: quanquam esset divinæ bonitati non congruens hominem, quem bonum post lapsum, aut etiam ex quo bonum facere posset, non condere. Aut talem fecisset, subjiciat, qui peccare non posset. Quid ita non queratur: Cur homo, cum talis factus esset ut posset non peccare si vellet, in hoc statu manere noluit ut quandoque tantum de Deo mereretur obediendo ne peccare vellet aut non posset? Verum cur homini negaretur illa voluntas, qua vel bene utens expectaret præmium, vel male excedens præmonstratum pati cogere tormentum? Constante dixerim, nullam Deum creaturam, quæ mala peccando futura esset, facturum fuisse, nisi aut eam iterum bonam aut ea boni aliquid facere decrevisset. Maluit enim ex malis bonos vel bona facere quam mala nulla esse permittere. Et hominum 216 quidem plerosque vel originali vel proprio vitio malos reformat in bonos, nulla eis imputata iniquitate, sua, quod firmissime tenendum est, gratuita bonitate. Spirituum autem immundorum neminem hac dignatur gratia, quorum pertinaci superbiæ nullo veniæ subvenire decrevit remedio. Horum tamen, eorumque participum hominum perditorum, quanquam ipsis nolentibus, bene utitur famulatu, dum his vel aperte sævientibus vel occulte insidiantibus, exercet sarctorum patientiam sempiterno quondam præmio coronandam. Nec minus ex malis bonum agit, cum singulis eis meritum repensat supplicium. Bonum enim est malos non conversos puniri, ut comprimatur superbiorum elatio, crescat humilium devotio, augeatur ex utrisque divina laudatio. Invicta, ut opinor, superiorum ratione colligitur hominem tam anima quam corpore fuisse damnatum, nec infortunium damnationis ejus alii quam ipsi et seductori ejus aliquatenus imputandum. Illud etiam claruit, potuisse suis viribus hominem peccando cadere, verum non posse unquam sua virtute resurgere. Proinde pius artifex, quod homo non posset ut ipse perficeret, filium sibi

et evidentius de peccatoribus Deus ferre judicium, quam ut statim consequeretur pœna peccantes? » Vide quæ nos illic adnotavimus.

(a) *Ulciscendo quandoque.* Id est: Licet in præsens Deus non puniat nocentes et flagitiis commaculatos, non abibunt tamen impune, et sentient tandem virtutem manus divinæ. « Et ideo intelligere debemus, » ut ait Salvianus in libro vii de Gubernatione Dei, « quia pietatis divinæ fuit, quod pœnam diu debitam distulit; piaculorum autem et criminum, quod aliquando peccator populus quæ merebatur excepit. » Hinc illa Valerii Maximi vox, quam nos perperam Cæsari tribuimus in notis ad Salvianum: « Lento enim gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat. » Apud Cæsarem in libro primo de bello

coæternum, æqualitate voluntatis et potestatis consimilem, non ex mare et femina, sed ex Spiritu sancto et Maria virgine, novo nascendi privilegio, hominem absque peccato instituit, ut per eum qui obumbrante Spiritu sancto non fuisset conceptus æstu libidinis, eorum qui in peccatis concepti essent aboleret omne peccatum. Hinc virgine satus, virgine natus, ut absque delicto conceptus et ortus, sic absque ulla offensæ macula, conversatus, postquam 217 (b) dispensationem nostræ salutis docendo sufficienter exercuit, Deus verus, homo verus, utrumque unus, hoc est in utroque et ex utroque unus, dignatione mirabili, mortem quæ peccato debetur, totius expers contagii sponte pertulit, et nos peccatores æterna morte liberavit. Tum intra triduum resurgens, spem nostram in cælum sustulit, et paulatim pristini lapsus veritatem et nostræ instaurationis integritatem exposuit, non suis verbis solum, verum etiam discipulorum et verbis et scriptis. Quanquam et sanctæ litteræ, quæ dicuntur Veteris Testamenti, alterum mira proprietate expresserunt, alterum mystica præfiguratione signarunt. Nam et primi parentis peccatum ipsæ prodiderunt, et futurum ut per Dominum Jesum repararetur genus humanum, cum multis aliis locis, tum in illo summe atque clarissime: *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum (Psal. LXXI).* Subtiliter igitur expendat fidelis examinador et pius quanta fuerit hominis iniquitas, quam nec quisquam hominum nec quilibet angelorum nisi Dei solius sanguis valuit expiare; nec se mereri aliud quam supplicium credat homo, qui post purgationem baptismatis, qua etiam parvulis regni cœlestis janua aperitur tametsi quædam digna venia suspicatur se gessisse magis quam novit, multo sunt tamen plura super quibus divini judicii severitatem formidet. Quanquam etiam bene gestis timendum est, cum tantus vir dicat: *Omnes justitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ (Isa. LXIV).* Justitia enim nostra, licet interdum coram hominibus splendeat opere et sermone, in conspectu Dei sordescit prava cogitatione. Habemus autem, 218 ut supra relatam est, ex Adam liberum arbitrium, non ad bonum et malum, quale ipse a Conditor accepit, sed quale ipse sponte in ima vergens elegit et peccando commeruit, hoc est ad malum liberum; ad bonum autem, si

D Gallico scriptum est ipsum Cæsarem legis Helvetiorum, quorum princeps fuit Divico, respondisse: « Consucisse deos immortales, quo gravius homines ex commutatione rerum doleant quos pro scelere eorum ulcisci velint, his secundiores interdum res et diuturniorem impunitatem concedere. »

(b) *Dispensationem nostræ salutis.* Id est, incarnationem Christi Domini. Incarnationis enim mysterium passim apud Græcos *οὐνογονία* vel *dispensatio* dicitur, ut Marca adnotavit in libro iii de Concordia cap. 13, § 1. Sic auctor incertus a Sirmondo editus, qui Breviarium fidei adversus Arianos composuit, ait in ipso statim initio: « De se ipso Dominus secundum dispensationem carnis assumptæ loquitur. »

tamen id nobis divino munere contigerit, ut supra jam diximus, Dei gratia liberandum. Mentior nisi hoc primus liber divinæ auctoritatis ostendit his verbis: *Sensus et cogitatio humani cordis ad malum prona sunt ab adolescentia sua* (Gen. viii). (a) Secretorum etiam cœlestium fidus interpres Paulus, jam baptizatus, jam forsitan ad tertium cœlum eVectus: (b) *Condelector*, inquit, *legi Dei secundum interiorem hominem*, illi profecto quæ sanxit: Non concupisces, *video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis* (Rom. vii). Legem in membris concupiscentiam vocat, quam post peccatum in membris genitalibus primi senserunt parentes, quam sibi adversantem divino freti adjutorio etiam continentes quique repellunt, sed penitus nunquam reversuram dum hic mortaliter vivunt excludere nequeunt. Dominus quoque Jesus, qui singulariter ut conditor sciebat quid esset in homine, imbecillitatis nostræ nos admonens: (c) *Sine me*, inquit, *nihil potestis facere* (Joan. xv), nihil scilicet boni, nihil saluti conducibile. Nec indignetur salvatus et salvandus sine Salvatore se nihil posse facere, qui pollicetur: *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis* (Joan. viii). Et cur, dicat aliquis, possibile præcipitur quod postea impossibile demonstratur? *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota mente tua* (Matth. xxii); et: *Diliges proximum tuum tanquam te ipsum* (Ibid.); et: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt* (Matth. v); et: *Qui vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (Luc. ix); et alia multa, quæ nunc peccata prohibent, nunc instruunt fidem, nunc vires informant. Profecto ut dum conatur quis, nec sufficit quæ jubentur implere, illuc fatigatione humiliatus recurrat unde petendo, quærendo, pulsando, accipiat quod desiderat, et non in se, sed in Domino de omnibus ejus beneficiis gloriatur. Nec sibi nervos fortitudinis detrahi opinetur subjecte Deo devotus, cum per se nihil boni posse facere tam evidentibus instruat testimoniiis. Nec vero meritum minui: quoniam solum hominem præstantius quam Deo cooperante posse aliquid agere, ne dicam opinari vel somnare, non tam superbientis est hominis (d) quam amentis, et de cujus plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia, pro gratia quam impendit laboriosæ bonitatis, gratiam rependit beatæ retributionis. Non habere hominem in bono liberum arbitrium etiam Jeremias propheta non dubitans: *Scio*, inquit, *Do-*

(a) *Secretor. cœlest. F. i Paulus.* Sic in epistola 41 dixit, *et quod secretorum cœlestium conscius docet Paulus.* Vide infra ad pag. 220 (*).

(b) *Condelector legi.* Hunc Pauli locum ex Epistola ad Romanos integrum refert, et ex eadem quidem interpretatione, in epistola 128, pag. 488.

(c) *Sine me nihil.* Hunc locum Joannis ex eadem interpretatione laudat in epistola 33, pag. 67, et in epistola 128, pag. 187, et in Collectaneo, pag. 762, 270.

(d) *Quam amentis.* Lupus epist. 30, pag. 58: « Si-

(*) Hic et in sequentibus revocatur Lector ad numeros crassiores textui insertos. Edr.

A mine, quia non sit hominis via ejus, nec est ut ambulet et dirigat gressus suos (Jer. x). Proinde mox adjutorium flagitat: *Corripe me, Domine, verumtamen in judicio, et non in furore tuo* (ibid.). Hoc est: Quia non est meæ virtutis ut meam pravitatem corrigam et justitiæ tuæ apprehendam et teneam rectitudinem, tu adhibe correctionem judicii, cujus terrore salubriter sanas infirmos, non correptionem, cujus severitate horribiliter damnas superbos, ut mutata et confirmata voluntate faciam, te cooperante, quod meis viribus implere non valeo. Vates præterea clarissimus Isaias totum Deo, nihil nobis penitus tribuendum confirmans, *Domine*, inquit, *pacem da nobis: omnia enim opera nostra operatus es nobis* (Isa. xxvi). Namque si nobis temere sanitatem liberi arbitrii arrogamus, frustra diu multa conati, sic impossibilitate ut hoste accerrimo confundimur, molestoque bello laboramus, quousque defessi ad divinum recurramus auxilium. Quo impetrato, pacem de qua dicitur, *Pax multa diligentibus legem tuam* (Psal. cxviii), consequimur; dum per bonum affectum in Deo mens nostra velut in munitione tutissima requiescit, et jam salutaria præcepta fiducialiter operatur, quando quidem ea ipse qui præcipit exercet. Miretur aliquis ne parva quidem opera nobis a nobis, sed ipsa quoque a Deo esse, nisi cognoverit ipsas cogitationes bonas et initium ac perfectionem fidei non a nobis procedere, sed a Deo inspirari habentibus atque firmari. Doctor hæc gentium, (e) imo per eum Dei Spiritus publicans. *Non quasi sufficientes simus*, inquit, *cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (II Cor. iii). Hoc est, quod ad sanctitatem religionis pertineat, nos quidem nihil sufficimus cogitare; sed ut sufficiamus, ipsas a Deo cogitationes bonas accipimus. Item de initio fidei: *Sed misericordiam consecutus sum*, ait, *ut fidelis essem* (I Cor. vii). Non enim ait, quia fidelis fui misericordiam consecutus sum, sed misericordiam consecutus sum ut fidelis essem. De perfectione autem fidei: *Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non est vobis, Dei enim donum est* (Ephes. ii). Itemque non de fide solum, sed de ipsa bona voluntate: *Deus est*, inquit, *qui operatur in vobis et velle et perficere* (Philip. ii). Quod vero in bonis actibus perseverantia Dei donum ac per hoc gratia Dei sit, facile illo satis idoneo testimonio comprobatur: *Confidimus in Domino Jesu, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu* (Philip. i). Hoc est, Deus, qui cœpit in vobis agere quod præcepit, tandiu

quidem futuras earum rerum imagines aliqua nos mentis acrimonia posse apprehendere quæ illius tanti auctoris ingenium sint transgressæ si vel opinari possemus, esset id extremæ dementiæ.

(e) *Imo per eum Spiritus Dei.* Lupus epist. 64: « Secundum eundem Apostolum, in quo evidenter Dei Spiritus loquebatur, evacuate quæ fuerunt parvuli. » Item in epistola 94: « Sanctus Apostolus, in quo evidenter Dei Spiritus loquebatur. »

operabitur quousque excedentibus vita singulis adveniens incipiat reddere quod promisit. His omnibus erudimur ne spem in nobis collocemus opinione gravius delinquentes; sed statum nostrum munientes, totius nostræ spei plenitudinem transferamus in illum, qui propterea nos ad se vocat ut fulciat, idcirco profutura nos petere invitat ut tribuat, ideo ne nobis confidamus terret, ne deserat. Namque maledictus homo est qui spem ponit in homine. Qui autem eam in seipso ponit, in homine ponit. Maledictus igitur est. Sane Dei bonitas præclare commendatur, cum benedictus esse vir asseritur qui confidit in Domino, et solus interdum confidentis affectus præmium jam benedictionis assequitur. Amant autem immundi spiritus decipiendi astu spem hominum in se transferre, quod in suis cultoribus effecerunt, vel ex quodam colludio falsas opiniones mentibus eorum inserere, quasi propter naturæ dignitatem atque præstantiam tutissimum sit eis in se ipsis spem aliquatenus collocare. Quod est ex eorum scriptis ostendere qui divinæ vacui, notitia mundanæ sapientiæ claruerunt. Tullius facit, non Lælium vel Scipionem, quæ posset esse dubia, sed M. Catonem senem certa, hoc est sua, dicere sententia. « Quibus nihil est in ipsis opis ad bene beateque vivendum, his omnis ætas gravis est. Qui autem omnia bona a seipsis petunt, his nihil malum potest videri quod naturæ necessitas afferat. » Omnia bona a vero Deo non a se ipsis petunt, Marce Tulli, dixisses, et nobis non tam splendore verborum quam sententiæ veritate placuisses. Virgilius etiam, ut hominem decuit poetica figmenta tractantem, aliud agens tale quid significavit potius quam expressit, *Spes sibi quisque*. O utinam dixisset, cuique Deus verus spes, et credidisset, nec de Mæcenate adulando, sed de eodem vero et solo Deo probe summeque canendo protulisset: *Te sine nil altum mens inchoat*. Nostri autem auctores, facile sapientia superiores, quia divina eloquentia pares, quam cum volunt exerunt, cum volunt abscondunt, Cyprianum loquor, Augustinum, Hieronymum, Ambrosium et quosdam alios, et mentem divinorum eloquiorum penitus inspexerunt, et nobis salubriter expresserunt. Scilicet egere nos in bonum arbitrio liberando, et Dei gratiam non secundum merita nostra dari. Itaque (a) gloriosissimus martyr Cyprianus et doctor suavissimus omnia nostris viribus adimens, Deo assignans, brevissime omnia genera meritorum complexus, ait in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit (*Cypr., lib. III Testm. ad Quirin., c. 4*). Am-

(a) *Gloriosiss. martyr Cypr.* Lupus epist. 3, *gloriosus videlicet martyr Cyprianus*. Epistola 128, *Sanctus Cyprianus, martyr gloriosissimus, et doctor suavissimus*.

(b) *Sæculari doctrina*. Id est, sæculari litteratura, vel eruditione, ut dixit Lupus in epist. 30 et 68.

(c) *Haud dubium quin justos*. Familiarissima est phrasis isthæc Lupo nostro. In epistola quippe 4, laudans locum istum ex Epistola secunda ad Corinthios: *Tristitia sæculi mortem operatur*. addit, *haud dubium quin spiritalem*. Et in epistola 30, pag. 60,

A brosius autem scribens, non est in nostra potestate cor nostrum et nostræ cogitationes, etiam ipsa facta et dicta comprehendit, quæ profecto ex corde et cogitatione procedunt. Hieronymus divina et (b) sæculari doctrina præcipuus et velut quidam parens cum Augustino ecclesiasticæ philosophiæ, quæ humanam nec multum appetit, nec in omnibus contemnit, Pelagianam hæresin recens exortam potenter debellans. Si, inquit, in eo tantum Dei gratia est, quod propriæ nos condidit voluntatis, et libero arbitrio contenti sumus, nec ultra ejus indigemus, ne si indiguerimus liberum frangatur arbitrium, ergo neque ultra orare debemus nec illius clementiam precibus flectere ut accipiamus quotidie quod semel acceptum in nostra est potestate.

B Item post aliquanta: Agamus semper gratias largitori, sciamusque nos nihil esse nisi quod donavit in nobis ipse servaverit. Item alibi in Deuteronomio perspicue demonstratur non operibus nostris atque justitia, sed Dei nos misericordia conservari. *Non justitia tua Dominus Deus tuus dabit tibi terram optimam ut possideas eam, quia populus duræ cervicis es tu (Deut. ix)*. Item post aliquanta: *Pro nihilo salvos facies eos (Psal. lv)*, (c) haud dubium quin justos, quia non proprio merito, sed Dei salvantur clementia. Item alibi in expositione sententiæ: *Non gloriatur sapiens in sapientia sua, et non gloriatur fortis in fortitudine sua, et non gloriatur dives in divitiis suis, sed in hoc gloriatur qui gloriatur, scire et intelligere et nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam et judicium et justitiam in terra (Jer. ix)*. Ubi sunt, inquit, qui dicunt proprio hominem regi arbitrio, sic datam liberi arbitrii potestatem ut Dei misericordia tolleretur atque justitia? Ipse autem Augustinus, quem nescias utrum rerum inventionem magis an dicendi felicitate mireris, de libero arbitrio et gratia Dei tanta disseruit ut possint vix ab aliquo legi, omnia vero, ut mea fert opinio, (d) quanquam sint clarissima et utilissima, a nemine memoria contineri. Quid enim sentiendum sit de libero arbitrio et gratia Dei, sicut nemo tam laboriosa indagine vestigavit, nemo ut ille tandiu versavit, ita, ut pace cunctorum dixerim, nullus utrumque tanta veritatis proprietate invenit, nullus tanta eloquentiæ ubertate asseruit, nullus inexpugnabilium argumentorum copia tanta defendit. Proinde cum essent illius omnia optima et pene innumera, hæsitareque quid potissimum esset eligendum, statui studiosum ad illorum invitare lectionem, quæ nostris

citans locum illum Augustini, *vitam, quidem suam, etc.* addit, *haud dubium quin spiritus*. Sic in fine istius lib. pag. 241 afferens locum illum ex cap. viii Epist. ad Roman. *proprio Filio non peperit, addit, haud dubium quin Deus*. Sic in Vita sancti Maximini cap. 4, pag. 279, *haud dubium quin Maximinus*.

(d) *Quanquam sint clarissima*. Augustini verba esse clarissima scribit. Sic in epistola 30, de eodem Augustino loquens, ait: *Hactenus quid hæc verba obscuritatis pariant non video. Quippe clarissimus auctor, etc.*

præcognitis facilius poterit penetrare, quam paucis positis, similibus melioribusve fraudare. Hoc unum tamen occultare non passus sum quod inter alia de libero arbitrio acutissime deprehendit. Liberum, inquit, arbitrium congenitum et omnino inamissibile si quærimus, illud est quo beati esse volunt etiam hi qui ea nolunt quæ ad beatitudinem ducunt. Nec arbitretur aliquis aut tantos viros aut nos bona quæ dono Dei consequimur sic dona ejus asserere ut non sint etiam nostra. Sunt profecto Dei, ac principaliter, quia ab illo donantur. Sunt consequenter et bona nostra, quia nobis ab illo esse creduntur; et cum aliquid boni molimur vel agimus, est in nobis liberum arbitrium, quia peccati affectu Dei gratia liberatum. Idemque opus et Dei est, qui operatur in nobis; et nostrum est, quia voluntate facimus quod præceptum est nobis. Cogitationes bonæ Dei sunt, quia nobis donantur ab illo, ut apostolico superius constitit documento: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (II Cor. III); et eadem nostræ sunt, quia Spiritus Dei admonet: *Jacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet* (Psal. LIV). Conversio nostra Dei est, cui supplicatur: *Converte nos, Deus salutaris noster* (Psal. LXXXII); et eadem nostra 225 est, quia divinitus jubetur: *Convertimini ad me in toto corde vestro* (Joel. II). Inclinationo cordis nostri ad præcepta Dei, et ipsius Dei est, quem placamus his ab eodem docti precibus: *Inclina cor meum in testimonia tua* (Psal. CXVIII); et eadem inclinatio nostra est, quia volentibus nobis est. Unde non falso gloriamur: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum* (Psal. CXII). Postremo omnia opera nostra bona et Dei sunt qui dicit: *Sine me nihil potestis facere* (Joan. xv); et eadem nostra sunt, quia illi propheticè dicitur: *Domine, pacem da nobis, omnia enim opera nostra operatus es nobis* (Isa. xxvi). Nostrorum autem omnium bonorum Dei gratia auctor et causa est. Nam post peccatum Adæ, in quo omnes peccavimus et justè damnati sumus (rectus est enim Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo); quid mereatur totius generis humani series vitiata et propter originale peccatum damnata et propter propria addita, si ad activam ætatem accesserit, damnanda, nisi sempiterna supplicia? Hæc plane, ut supra relatum est, peccato vitiata tota stirps hominum perpeti cogeret, nisi ex eadem stirpe eandem causam damnationis habente, alii (a) occulto judicio Dei, quanquam rectissimo, per justitiam ejus in damnatione debita relinquerentur, alii vero manifesta gratia per ejus misericordiam salvarentur. Non est

(a) *Occulto judicio Dei.* Et hæc quoque phrasid est familiarissima Lupo. Epist. IV, pag. 14. *Quanquam occulto, minime tamen injusto judicio.* Epist. LXXXIV, pag. 126. *Diu est quod Deus occulto, justo tamen judicio.* Epist. CXXVIII, pag. 186, *quamvis occulto, justo tamen judicio.* Epist. CXXXIX, pag. 191, *quanquam occulto, justo tamen judicio.* Sic infra pag. 239. *Cujus quanquam sit subinde occultum, nunquam*

A unde inflentur liberati, quia quod non meruerant acceperunt. Non est unde querantur damnati, quia nihil nisi quod meruerant perferre coacti sunt. Cur autem istos non illos salvet Deus, aut cur non potius istos quam illos, jam hoc supra hominem est, nec (b) secreti Dei, præsertim tanti, causa exspectari debet ab homine. *Quis cognovit sensum 226 Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* (Rom. IX). Igitur, ut idem ait, (c) *cujus vult miseretur, et quem vult indurat* (Rom. IX). Miseretur exuberante bonitate, indurat nulla intercedente iniquitate. Indurat autem, non ad peccatum impellendo, *Deus enim intentator malorum est* (Jac. I), sed in peccato deserendo, quia ipse quorum vult solum liberator est. Et utique ut est quorundam, si voluisset esse potuisset et omnium. Omnia enim quæcunque voluit Dominus fecit in cælo et in terra. Sed ita voluit exercere misericordiam, ne in aliquo infirmaret justitiam. Nam quod venerabilis Paulus ait: *Qui vult omnes homines salvos fieri* (I Tim. II), non sic accipiendum est quasi cum Deus velit generaliter omnes fieri salvos, quibusdam impediens impotentissimis, non valeat omnipotentissimus implere quod velit, sed ita potius, quod illis sive volentibus, sive nolentibus (nam plures in infantili ætate baptizati, horum non habentes discrimen, mox vita excedentes transferuntur ad gloriam), salvantur omnes quoscunque ille salvare voluerit. Omnes ergo vult salvos fieri homines, sed non alios quam qui salvantur. Quo elocutionis genere usus est evangelista Joannes his verbis: *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joan. I), non quo fidei luce omnes in hunc mundum venientes illuminet (quod sentire perquam absurdum est, quando quidem plures infidelitatis tenebris obscurantur), sed eos videlicet qui illuminantur, dum non ab alio nisi ab illo illuminantur. Omnes autem non semper universitatem generaliter, verum aliquando exceptionem quamdam particulariter comprehendere, etiam ipse Apostolus, de cujus deliberatur sententia, idoneus 227 auctor est ubi ait: *Sicut ego per omnia omnibus placeo* (I Cor. VI). Namque ut taceam de majore adhuc infidelium parte, quibus profecto placere non poterat, non placebat his a quibus cædebatur, non placebat his a quibus obruebatur lapidibus, non placebat his denique a quibus urbe velut mortuus pellebatur. Placebat autem solis fidelibus, qui tot erant ut merito dici possent omnes, quique in illo glorificabant Deum quod persecutionem prædicatione mutasset. Possumus etiam, *qui vult omnes homines salvos fieri* (I Tim. II), sic sano sensu intelligere, quod ex omni genere hominum colligat ad salutem, hoc est, quos-

tamen est injustum judicium.

(b) *Secreti Dei.* Quippe secreta Dei investigare hominem non decet; ut graviter monet Salvianus pag. 44, editionis nostræ, nam Salviani locus corruptus ac depravatus est in aliis editionibus.

(c) *Cujus vult miseretur.* Eadem verba repetuntur in epist. 128, et in Collectaneo, pag. 252.

dam Judæorum atque gentilium, quosdam utriusque A
 sexus, nonnullos magistratum et privatorum, ali-
 quos dominorum atque servorum, alios ingenioso-
 rum atque hebetum, et quarumcunque differentia-
 rum homines possunt a subtiliter contemplantibus
 apprehendi, qui omnium vocabulo non immerito
 censeantur. Siquidem eadem notione idem nomen
 in Evangelio Lucas posuit: *Væ vobis, Pharisei,
 qui decimatis mentham et rutam et omne olus*
(Luc. xi). Neque enim omnium generum olus per
 omnem terræ amplitudinem Pharisei decimabant:
 sed omne olus, omne genus olarum quod habebant,
 est absque scrupulo sentiendum. Nec ille sensus
 abhorret a vero, ut qui vult homines salvos fieri, qui
 velle nos facit, omnes homines salvos fieri significare
 voluerit. Ut qui sumus multos vocatos, paucos au- B
 tem electos, nullo discrimine separare valeamus,
 omnes indifferenter velimus fieri salvos. Nam et
 in eundem modum invenimus apud Apostolum: *Ipse
 spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*
(Rom. ii), hoc est, postulare nos facit. Hanc 228
 autem gratiam, qua nos omnes qui salvamur gratis
 eripimur, pluribus relictis in damnatione, quam nos
 quoque meruimus, commendans vas electionis: *Sicut
 elegit nos, inquit, in ipso ante mundi constitu-
 tionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu
 ejus in charitate, qui prædestinavit nos in adoptionem
 filiorum per Jesum Christum in ipsum (Ephes. i)*.
 Ne adversus Deum ex ejus munere inflaremur, an-
 tequam oriretur superbis morbus, quam efficax est
 remedium procuratum. Eligit nos Deus ante mundi
 constitutionem, non quia eramus sancti et imma- C
 culati, aut quia futuri eramus sancti et immaculati,
 alioquin non tam suæ gratiæ donum largiretur quam
 nostro merito vel præsentis vel futuro præmium velut
 ex debito referret; sed elegit nos ante constitutio-
 nem mundi, ut essemus sancti et immaculati, qui
 nisi vellet, nec ulli quidem esse possemus. Cæterum
 ubicunque de electione, vel præscientia, sive præ-
 destinatione Apostoli loquuntur, quicumque Deum
 propterea elegisse præscisse aut prædestinasse
 quoslibet asserunt quod præscierit eos devotos sibi
 futuros et in eadem devotione mansuros, tametsi
 sint in aliis magnæ auctoritatis, in hac sententia
 non sunt penitus audiendi, ne evacuetur divinæ
 gratiæ donum, si secundum humanum quanquam
 futurum meritum dispensetur. Nec indignentur his D
 præponi Apostolum quicumque non nesciunt in hoc
 loqui potius Christum, qui se, quemadmodum est,
 veritatem esse testatur. Hi sola gratia prædestinati
 sunt omnes, de quibus ait Salvator: *Omnis qui au-
 divit a Patre et didicit, veniet ad me (Joan. vi)*. Hæc
 autem salutis doctrina, qua venit ad gratiam sal-
 vantem, valde 229 remota est a sensibus corporis.
 Non auribus apprehenditur sonantibus verbis, sed
 mentibus Creatoris instinctu, etiam in eis absque
 strepitu quod placuerit operantis, vel misericordiam
 ut vocati liberentur, vel judicium ut relictis damnen-
 tur. Operatur plane in mentibus piorum, adjuvando

ut salutaria velint, et in eis proficiant; operatur in
 mentibus impiorum deserendo, ne nisi noxia velint
 et in pejora labantur. Id Propheta intelligens orat:
Adjuva me, et salvus ero (Psal. cxviii). De reprobis
 vero sponte peccantibus et deserente judicio Dei ad
 deteriora ruentibus ait Apostolus: *Quia non proba-
 verunt Deum habere in notitiam, tradidit illos Deus
 in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt*
(Rom. i). Utrosque discernit voluntas, vel misericor-
 dia Dei adjuta, vel judicio non adjuta. Deum itaque,
 qui adjuvat ut bona sit voluntas, et voluntatis ipsius
 et omnium quæ ex ea prodeunt honorum nec non et
 quæ hæc nullo dubitante consequuntur præmiorum,
 nemo est tam ingratus qui non credat et confiteatur
 auctorem. Perditorem vero malæ voluntatis eum
 esse auctorem nemo nisi insanus et perditus opinari
 audebit. Non enim cujus voluntas summe bona est
 malam esse facit alterius. Auctor itaque sicut non
 est malæ voluntatis impiorum, ita nec aliorum quo-
 rumlibet peccatorum quæ ex ea procedunt. Verum
 qui non est auctor ullius omnino reatus, est pro-
 fecto censor et judex. Ut autem reus majestatis
 damnatus non recte nisi sibi aut sociis criminis im-
 putat quod punitur, ita judicio Dei damnatus non
 recte potest in cum supplicii sui retorquere invidiam
 cui nequaquam valet obicere peccati sponte a se
 commissi 230 calumniam. Imputet igitur sibi ho-
 mo, vel si placet Diabolo, cui temere credit, et
 peccatum et vindictam peccati, hoc est, et causam
 damnationis, et ipsam damnationem, Deo vero et
 bonum opus et ipsum boni operis præmium. Ad hoc
 bonum nemo malus nisi discessurus accessit, ad hoc
 bonum nemo bonus nisi tractus pervenit. Siquidem
 quam verum est, *ex nobis exierunt, sed non erant
 ex nobis (I Joan. ii)*, tam verum, *nemo venit ad me
 nisi Pater qui misit me traxerit eum (Joan. vi)*. Ubi
 pravitas nostræ naturæ, quam tamen translato vo-
 cabulo, id est, improprio utentes, naturam juxta
 Apostolum dicimus, qui ait: *Eramus nos aliquando
 natura filii iræ, sicut et cæteri (Ephes. ii)*, vocans
 naturam quæ habeat jam peccatum quod sit contra
 naturam, cum vere et proprie natura dicatur incor-
 rupta, in qua conditus est Adam. Pravitas, inquam,
 nostræ naturæ ostenditur, quæ ut alibi declaratur
*sensu et cogitatione cordis ad malum prona ab ado-
 lescentia*, hoc est, ex quo potest discretionis habere
 judicium, ad virtutem reluctans trahitur et invita.
 Sed ut ad propositum revertamur, ad bonum et ad
 boni præmium nemo nisi ante mundi constitutionem
 gratia electus, gratia præscitus, gratia prædestina-
 tus, intromissus est, sicut divino spiritu pandente
 comperimus. Electio non omnium, sed quorundam
 confitetur salutem. Præscientia futurorum, nobis
 duntaxat, nam Deo simul præsto sunt omnia, præno-
 tionem insinuat. Prædestinationem autem in bono po-
 sitam dicimus ostendere in sanctis litteris gratiæ præ-
 parationem; gratiam vero ipsam exprimere donatio-
 nem. Præscit Deus quæcunque aut facturus est aut
 permissurus, utraque nulla necessitate, 231 alterum

communione injustitiæ nulla. Prædestinat quæcunque immutabiliter facere statuit. Imo omnia quæ facturus erat tunc prædestinavit, quando cuncta quæ futura erant fecit. Proinde prædestinatio nunquam est sine præscientia. Nihil enim quod nesciat se facturum Deus prædestinat. Præscientia vero est et plerumque sine prædestinatione: quia crimina perversorum præscit Deus, quæ utique ut se facturum non prædestinavit, ita nec facit. Verum enim vero præfixit numerum electorum, cui nullus audiri possit augeri, nullusque subtrahi, ne videretur Deus, quod nefas est opinari, in veritate suæ prædestinationis errasse. Si quis vero hinc forte confirmari desiderat, instruetur Baptistæ Joannis quæ in Evangelio refertur illa sententia: *Facite fructum dignum pœnitentiæ, et nolite dicere apud vos: Patrem habemus Abraham; potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham* (Luc. III). Quia satis ostendit sic istos nisi fructum fecerint præcidendos ut substituantur alii vel carne vel tantam imitatione filii Abraham, ne nutante promissionis Dei fide possit aliquis certæ summæ deesse. Et adhuc spertius in Apocalypsi, ubi præcipitur: *Tene quod tenes, ne alius accipiat coronam tuam* (Apoc. III). Si enim alius non est accepturus, nisi iste perdendo locum vacuum fecerit successuro, certus est numerus electorum. Ut autem etiam perseveraturis perinde ista dicantur, velut eos perseveraturos habeatur incertum, hæc ratio est, quod metus est necessarius quibus adhuc potest subripere superbiæ morbus, et tanta subest his adhuc infirmitas, quæ non securitate fovenda, sed alia sit infirmitate sedanda. Veniat nobis in mentem **232** C

Apostolus, cui corporis incertum an mentis incommodo laboranti et remedium flagitanti cœlestis medicus, qui sciret quam ipse melius quid ei competeret, infirmitatis antidotum convenire monstravit hanc prædestinationem, quia Deus evolvens gratiam (a) facit sanctos, non invenit, et post excursus instantis vitæ perficit et coronat. Hanc, inquam, prædestinationem, quæ illustribus divini eloquii testimoniis et inexpugnabilibus argumentis astruitur, fideles quique passim suscipiunt, constanter defendunt, in hac ut par est suspensi spem suæ salutis pio consensu reponunt, nec in merito. Siquidem nulla via salutis humanæ potest inveniri præter hanc quam quæ præstitit divina gratia demonstravit. Hac exclusis nullus omnino patet reditus ad salutem. De his prædestinationem Dei dici horrent plerique atque refugiunt, in quibus et quædam (b) præclara Præsulum lumina, scilicet ne credatur Deus libidine puniendi aliquos condidisse et injuste damnare eos qui non valuerint peccatum ac per hoc nec supplicium declinare. Qui si attenderent, sicut in Adam illo voluntate peccante omnes peccaverunt, ita prius illo absque vitio existente omnes absque vitio ex-

(a) *Facit sanctos, non invenit.* Imitatum istud videtur ex Tacito in Vita Agricolæ: « Rarissima moderatione maluit videri invenisse bonos, quam fecisse. »

(b) *Præclara præsulum lumina.* Intelligit haud dubie

A stitisse, Deum autem non homini necessitatem casus intulisse, potestatem tamen permisisse, ipsum vero, utpote qui fecit quæ futura sunt, et qui vocat quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, et casum præscisse et quid casum sequeretur constituisse, ut videlicet genus humanum sua sponte corruptum, nec totum propter misericordiam damnaretur, nec totum propter justitiam salvaretur, nullam patientur **233** caliginem, Deus quos rectos origine condidit, voluntas propria vitiavit, quos non liberat clementia, sic punire iudicio ut non ipse, verum ipsi convincantur suæ damnationis auctores. Hic aliquis, unde placari debuit, forsitan irritatior dicat: Et si mihi semel pereundum est, cur hujus vitæ perdo compendia? cur cum mihi alibi semper futurum est male, non sit hic aliquandiu bene? quare non omnes voluptatis effundo habenas, totumque quod delectat perficio? Averterit Deus hanc ab omni Christiano insaniam ut se aliquis de numero perditorum credat, se a malo reverti non posse coniciat, se inæstimabili Dei clementia salvari posse diffidat. Hoc eorum est qui transeunt in affectum cordis, hoc est, qui malum amore insatiabili diligunt, et in eo durare obstinatissima intentione decreverunt, et in (c) desperationis barathrum irrevocabili se impietate miserunt. Qui vero se redemptum Christi sangaine tanto pretio meminit, initiatum baptisate tanto sato sacramento non nescit, pœnitentiæ aditum suæ salutis argumentum patere non dubitat, cur, quæso, potius tantis beneficiis nullo suo merito nisi malo, non indefessus implorat, ut etiam et bonum meritum a Deo et quæ bonum meritum consequuntur accipiat? Cur se regressum habere dum hic vivit desperat, cum potius de bonitate Dei præsumere debeat, quod ideo vivat ut semetipsum tandem aliquando corrigat? Quis integre unquam sperare in Domino potuit, nec potuit ad veniam pervenire? Imo suo quisque iudicio damnatus fugiat a Deo ad Deum, ab irato dum peccat, ad placatum dum pœnitet. Revelet Domino viam suam, et speret in eum, et ipse faciet, **234** scilicet ut mala plena deserat, et bona jam ardentem ac delectabiliter apprehendat Ille non potest Dei misericordiam consequi qui in illo sperare non potest. Nam *sperantem in Domino, ut ipse aperit, misericordia circumdabit.* O quam tutum est nobis in Dei pietate perfugium! Paratus est Deus parcere subjectis et debellare superbos. His qui relinquunt culpam, et lacrymabiliter postulant veniam, facilis est præstare indulgentiam. Quis non hunc multum diligit, ut sibi dimitti peccata multa obtineat? Festinus ergo quisque ad pœnitentiæ portum confugiat, securus apprehendat et teneat. Preponat sibi quisque æmula pietate David regem et Petrum apostolum; quorum unus de adulterio et homicidio

Hincmarum Rhemensem, Rabanum Moguntinum, Pardulum Laudunensem, ac fortasse alios nonnullos.

(c) *Desperationis barathrum.* Epist. 3: « Etiam in desperationis barathrum dejicere potuissent. » Epist. 94: « In desperationis barathrum corruamus. »

increpatus, ut par fuit, insigni dolore, *peccavi Domino* dixit (*II Reg. xv*), et (a) translatum mox peccatum, nec se moriturum audire meruit: alter vero respectus ab eo qui paulisper averterat ab eo faciem suam, et propterea factus fuerat conturbatus, respectus, inquam, id est in affectum pœnitentiæ excitatus, negationis Dei maculam, tantum nefas, dicto citius amaris lacrymis diluit, abolevit. At si quis tantorum virorum contemplatione desperationem quam imitationem concipit, quod hi, quamquam maxima criminum virtutum copia propulsaverint atque oppresserint, se autem solis scaterere vitiis ingemiscat, saltem illum latronem aspiciat, qui supplicium crucis haud dubie sceleratis actibus meruit, et per solam fidem, quæ subito confessionem peperit atque spem, in media morte vitam invenit. Postremo si sciret se aliquis tam infeliciter addictum ut absque ulla dubietate damnandus esset, cur non temperaret a vitiis? **235** cur non etiam elaboraret sectari bona quæ posset, ut saltem eum levior pœna postea plueret? Quis hujus vitæ pœnis torquendus, si facultas datur, non minores eligat, majores declinet? Minores autem pœnas minoribus, majores peccatis majoribus rependi divina Scriptura consulta respondet. *Reddes*, inquit Propheta, *unicuique juxta opera sua* (*Psal. lxi*), pro qualitate scilicet honorum sive malorum præmia quibusque digna restitues. Sed si jam aliquid in persuadenda bona spe favore divino promovimus, sitne malorum prædestinatio sentienda, post ratiocinationem quam præmisimus, beati Augustini assertione pandamus. (b) Hic auctor certissimus, quia divinarum Scripturarum observantissimus, scribendo profecit. Unde culpatur quosdam in libro de prædestinatione sanctorum quod sicut studuissent ipsius libros legere, non etiam certassent cum ipso proficere, et proficienter scripsit, nec tamen suo judicio ad perfectionem pervenit. Tenebat enim, quod etiam in suo mirabili de grammatica opere (c) Priscianus intelligit, nihil perfectum ex omni parte in humanis locutionibus inveniri posse. Imo, quod noster ait Apostolus: *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus* (*I Cor. xiii*). Hoc in exactissimo libro de bono perseverantiæ, quem post vel inter libros retractationum edidit, dignatur ingenue confiteri. In libris autem retractationum, quibus non erubuit publicare in quibuscunque se deprehendit errasse et censoria severitate damnare, et adhibita ubicunque potuit norma divinæ auctoritatis et acumine cautissimæ argumentationis corrigere, eo usque profecit ut studiosus quisque singularem ejus doctrinam securus haurire

(a) *Translatum peccatum*. Id est Davidis: cujus crimen in filio primum vindicatur, dein vero in Davide ipso. Et videndus omnino Salvianus in libro secundo de Gubernatione Dei, pag. 38 et seq.

(b) *Hic auctor certissimus*. Loquitur de Augustino, quem in epistola quoque 129 vocat auctorem certissimum. Sic in epist. 30 loquens de eodem Augustino, ait: « Quippe clarissimus auctor quia divinæ auctoritatis observantissimus. »

(c) *Priscianus*. Hunc Prisciani locum laudat etiam

236 debeat, malitiosus non inveniat in eo quod juste reprehendat. Quis illo pressius vitia resecurit? Quis ad virtutes potentius instigavit, imo, ut verius eloquar, impulit? Quis illo felicius quos voluit persuasit? Cumque sit, ut ait Tullius, minimum de arte loqui, multo maximum ex arte dicere, ex arte quotiens voluit perfecte loquens oratorem implevit; de arte autem præclara adjumenta, vim ejus aperiens, in quarto de doctrina Christiana libro capacibus præstitit. Quis hoc sit sanctior, quis cautior, quis auctior? Hic itaque tot divinis ornatus muneribus, non dubitando, non quærendo, non argumentando, sed plane velut professum docendo, malorum prædestinationem esse insinuat. Verba ejus posui ex libro quem *Enchiridion* dixit, cui in retractatione cum vellet supremam imponere, ut aiunt, manum, nihil quod adiceret, nihil quod detraheret, nihil quod mutaret invenit. Hæc sunt *magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus* (*Psal. cx*), et tam sapienter exquisita, ut cum angelica et humana creatura peccasset, id est, non quod ille, sed quod voluit ipse fecisset, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est quod Creator noluit, implet ipse quod voluit, bene utens et malis tanquam summe bonus ad eorum damnationem, quos juste prædestinavit ad pœnam, et ad eorum salutem quos benigne prædestinavit ad gloriam. Et ne hoc illi exi-disse arbitraris, ac non pro comperto et certissimo comprobatum, cum ex multis librorum ejus locis tum ex illius cujus feci paulo ante mentionem qui inscribitur de *Dono perseverantiæ*, quem ætate matura firmoque judicio exercitatissimus **237** edidit, poterit confirmari. « Quibus, inquit, non vult subvenire non subvenit, de quibus in sua prædestinatione, occulte quidem, sed juste, aliud judicavit. Non est enim iniquitas apud Deum. » Huic non dissimilia S. Gregorius papa, Fulgentius Isidorusque senserunt: quorum ego testimonia ponere supersedi, ne diu aliorum scriptis extentus esset noster labor ingrator. Cujus autem sit momenti Augustinus (d) Cælestino papa docente discamus. « Augustinum, inquit, sanctæ recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communi-atione semper habuimus, nec unquam hunc sinistrae suspicionis rumor aspersit quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus ut inter magistros etiam a meis semper decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote quæ ubique cunctis et amori fuerit et honori. » Verum ne, quod cavendum etiam sæcularibus litteris dum

Lupus in epist. 34. Sed quod hic legitur *locutionibus*, pro *inventionibus*, ut est apud Priscianum, et in editione Donati Candidi; id ex eo profectum est, quod Sirmondi editionem sequi studuimus, quamquam ipse Sirmondus admonuit alibi legi, *inventionibus*.

(d) *Cælestino papa*. In capite secundo epistolæ ad episcopos Galliarum. Hunc autem Cælestini locum iisdem verbis refert Lupus in Collectaneo, pag. 246.

imbucemur cognovimus, amore doctorum amplecti judicemur errores eorum (unde probe idem Augustinus dehortatur in memorato de *Dono perseverantiæ* libro his verbis : « Quamquam neminem velim sic amplecti omnia mea ut me sequatur, nisi in his in quibus me non errare perspexerit, ») ac non potius unde potissimum quærendum est vestigare veritatem, procedat Paulus in medium, ut detegat hoc tandem suo sermone secretum : *Volens, inquit, Deus ostendere iram et demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta (a) sunt in perditionem, ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam.* Ecce vasa iræ perfecta confirmat doctor gentium in perditionem. Et certe, 238 quantum ad humanam spectat opinionem, pressius est dicere perfectum aliquid esse quam prædestinatum. Quantum enim ad humanorum casuum varietatem, perfectum infectum esse non potest, prædestinatum autem mutari aliquando potest. Quantum autem ad Dei pertinet continentem omnia majestatem, idem illi et perfectum est, quia fecit quæ futura sunt, et prædestinatum, quia est immutabili veritate complendum. Iram vero illam appellat qua reprobi puniuntur, quæ talibus verbis in Evangelio terminatur : *Qui incredulus est Filio non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum (Joan. III).* Hanc ut evitaret orabat Propheta : *Domine, ne in furore arguas me, neque in ira tua corripas me (Psal. xxxvii).* Sed forte nec ex hoc loco diversa sentientium sopiatur intentio, quia pleraque exemplaria, non vasa iræ perfecta in perditionem habent, sed vasa iræ apta in interitum. Quasi vero propterea non possint vasa iræ prædestinari in perditionem quod apta sint in interitum. Accedat ergo Dominus Jesus et nodum quæstionis ipse dissolvat. Denique ipse dicit in Evangelio : *Vobis datum est nosse mysterium regni cælorum, illis autem non est datum (Matth. XIII).* Vobis datum est, discipulis loquitur, illis autem non est datum, hoc est de undequaque confluentibus turbis. Si bene docentem capio, eos quibus datum est misericordia colligiti, quibus non est datum iudicio repellit, hoc est non adjuvando relinquit. Prædestinati autem sunt electi, quibus datum est, quorum certus est numerus. Neque enim Deus prædestinaret eos quorum summam nesciret. Igitur cum ad eorum numerum aspirare non possint reprobi, quia ut salventur non 239 est eis datum, quis possit ostendere, quis audeat affirmare ut damnentur non esse prædestina-

tum? Item in Evangelio immutabili sententia præscribitur : *Qui non credit jam judicatus est (Joan. III).* Ad quid arbitraris, nisi ad puniendum? Cur, quæso, nisi quia in Adam sua sponte peccante peccavit, nec hunc Dei gratia liberavit? An et inde cumulum sibi damnationis conscivit quod in infidelitate permanere delegit? Ita vero est. Sed cur credere noluit? quia, ut scriptum est, *non omnium est fides.* At cur non sit fides omnium, certus est limes, quem nisi impius excedere nullus audeat? quia illis non est datum. Siquidem cur eis non sit datum, illius est solius consilii cujusquam sit subinde occultum, nunquam tamen est injustum iudicium. Hanc severitatem verisimile est illam quoque sonare sententiam : (b) *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille deservierit (Eccli. VII)*; quod scilicet vas iræ aptum in interitum, vel perfectum in perditionem, malus obstinate in malo semper hæreat, etsi videatur ad tempus correctionem simulare, sicut canis ad vomitum, sic ipse ad peccatum consciscendo sibi mortem recurrat. In eadem sententia studiosi, qui (c) cultu orationis plurimum delectantur, recognoscant licet, non eloquentiæ nitorem solum sed etiam clausulam numerose cadentem. Jam ergo cum res in tuto sit, ponamus verborum controversias, ne puerili animositate contra invicem pro inani victoriæ jactantia litigantes corripiamur ab Apostolo dicente : *Noli verbis contendere. Ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium (I Tim. II).* Nam cum sit nobis unus magister cælestis, quid est verus et veritas, unde accipitur, et quo referenda 240 est omnis veritas, cur pro nostris inventis dimicemus, ut id ipsum dicamus omnes, quod nostrum non sit commentum, sed illius documentum: pacifice atque humiliter quid sit rectissimum reperiamus. Si qui vero tantis moventur auctoritatibus, seque non nostra assertione, verum perspicua superatos intelligunt veritate, non dedignentur suam mutare sententiam, quia non tam erubescendum est homini errasse quam cognitum errorem (d) nolle vitare. Quod utiliter amplissimus orator Tullius suo proposito subtiliter monstrat exemplo. Si temere, inquit, aliquid, alicujus præterisse aut non satis eleganter secuti videbimur, docti ab aliquo facile et libenter sententiam commutabimus. Non enim parum cognovisse sed in parum cognito stulte et diu perseverasse turpe est, propterea quod alterum communi hominum infirmitati, alterum singulari uniuscujusque vitio est attributum. Questionibus duabus, hoc est, de libero ar-

(a) *Perfecta sunt in perdit.* Vide epist. 128 et 129.

(b) *Considera opera Dei.* Hunc Ecclesiastici locum hisdemmet verbis laudat Lupus in epist. 129.

(c) *Cultu orationis.* Lupus epist. 35: « Etenim plerique ex ea cultum sermonis quærimus. »

(d) *Nolle vitare.* Lactantius lib. III divin. Institut., cap. 23: « Qui dicam de iis nescio qui cum semel aberraverint, constanter in stultitia perseverant, et vanis vana defendunt, nisi quod eos interdum

puto aut joci causa philosophari, aut prudentes et scios mendacia defendenda suscipere, quasi ut in malis rebus ingenia sua exerceant vel ostentent. » Claudianus Mamertus lib. I de statu animæ, cap. I: « Et quoniam humanitus per imprudentiam lapsi sunt, eligunt audaciam culpæ suæ pervicaci obstinatione defendere, ne videantur potuisse peccare. » Eleganter in hujusmodi viros invehitur Tullius in loco quem Lupus statim subjicit.

bitrio, et de prædestinatione, (a) non ut voluimus, sed ut valuimus, pertractatis, ad tertiam, scilicet de redemptione, quanta sit sanguinis Christi, quæ est ultima, veniamus. Et unde melius considerandi capiemus exordium quam ab ejus verbis qui quod postea sicut homo implevit, antea sicut Deus prædixit? Sunt hinc ejus verba : *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum* (Joan. XII). In hac exaltatione, quam se humiliando ut nos exaltaremur perpessus est, sanguis ille pro multis effusus est in remissionem peccatorum. Sic enim idem Jesus, hoc est nostra lingua *Salvator*, salvum fecit populum suum a peccatis eorum. Denique non aliquam solam gentem elegit 241 quam singulari privilegio totam salvaret; sed ut non suo merito, verum forsitan commendandæ dignitatis pontificalis gratia, Caiphas prophetavit, mortuus est Jesus, non tantum pro Judæorum gente, unde genus ducebat, sed ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum. Non quod adhuc essent filii Dei, sed quia inter congregandum facti sunt filii Dei cum unitati fidei accesserunt. Non incongruenter igitur, sicut prædixit, ad se omnia traxit, qui ex omni genere hominum elegit quoscunque salvare decrevit. Qui *multi* dicti sunt, quia plures utique salvantur; *omnes* autem, quia ex omni genere hominum colliguntur. Pro his fusum esse sanguinem Dei, quia *Verbum caro factum est*, hoc est, Deus homo factus, a parte totum significante Scriptura, sicut alibi : *Et videbit omnis caro salutare Dei* (Luc. III), hoc est, omnis homo, et quia Deus, dum integram naturam nostram assumpsit, suam incorruptam certe retinuit, universalis confitetur Ecclesia per totum orbem terræ diffusa, qua necessitate constringitur in accepta sanctificatione manendi, sic Apostolo explanante : *Empti estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro* (I Cor. VI). Itemque se annumerato de omnibus dicit idem Apostolus : *Proprio Filio, haud dubium quin Deus, non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (Rom. VIII). Item de his omnibus in Epistola quæ præscribitur ad Hebræos : *Vidimus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem* (Hebr. II). Et aperiens qui sunt isti homines, mox intulit : *Decebat enim eum propter quem omnia et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis 242 eorum per passionem consummare*. Decebat quippe Deum Patrem, *propter quem omnia*, hoc est cujus bonitate sunt omnia, *et per quem omnia*, quia ab illo coæternus ei ortus est Filius per quem facta sunt omnia (*Omnia enim in sapientia fecisti*, dicit sacer Psalmus [Psal. CI]), qui, hoc est, Pater, multos filios in gloriam adduxerat, cum scilicet nemo venisset ad Filium nisi quem Pater ipse traxisset, auctorem

salutis eorum, hoc est, auctorem salvalorum, per passionem consummare, ut de quo dicitur, *quæ cepit Jesus facere et docere*, quod docendum in mundo ipse docuerat primus impleveret, hoc est, *majorem charitatem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, et ita eum per passionem consummaret Pater, id est, consummatum perfectumque ostenderet; cum quod ipse bene cõcuisset, non solum implere, quanquam arduum, non recusasset, verum etiam suo exemplo cæteros excitasset. Intuendum quod quos dicit *omnes* in eo quod paulo ante posuit, qualiter gratia Dei pro omnibus gustaverit mortem, eosdem paulo post nuncupat *multos*, inferens, qui multos filios in gloriam adduxerat. Hæc divinorum eloquiorum auctoritas intelligenter expensa, pro omnibus Dei Filium gustasse mortem sic accipi posse insinuat quemadmodum Deum velle omnes fieri salvos. Ut enim salvos fieri vult omnes quicunque salvantur, ita redimit omnes quicunque redimuntur. Non autem salvantur omnes, nec vero redimuntur. Non itaque vult salvari alios omnes aut redimi nisi qui redimuntur atque salvantur. In hoc sensu beatus Augustinus invenitur in libro cujus jam supra meminimus, qui *Enchiridion* dicitur. Locus 243 hic est. « Hæc quæ in sanctis angelis et virtutibus dicitur Ecclesia, tunc nobis sicuti est innotescet cum ei conjuncti fuerimus in finem ad simul habendam beatitudinem sempiternam. Ista vero, quæ ab illa peregrinatur in terris, et nobis notior est, quos in illa sumus, et quia hominum est, quod et nos sumus, hæc sanguine Mediatoris nullum habentis peccatum ab omni est redempta peccato. Ejus vox est : *Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui proprio Filio non pepercit, sed pro omnibus tradidit enim* (Rom. VIII). In Ecclesia enim, quæ sanguine Mediatoris nullum habentis peccatum ab omni est redempta peccato, intelligit esse omnes qui apostolico testimonio comprehenduntur, quod est, *pro nobis omnibus tradidit eum*. Curiosos tamen divinorum eloquiorum non fugat probabiliter dici posse mortuum pro omnibus Christum qui ejus fidei sacramenta sive servaturi, sive non servaturi suscipiunt. Pro servaturis quidem nulli potest esse ambiguum. Pro non servaturis Apostolus idoneus auctor est illo testimonio : *Peribit in scientia frater, propter quem Christus mortuus est* (I Cor. VII). Nec mirum, cum fides sine operibus otiosa sit, et multi vocati, pauci vero doceantur electi. Verum hoc quidam velut blasphemum vehementer execrantur et damnant, quod derogetur plurimum Redemptori, nisi generaliter omnes homines redemerit. Nos autem, (b) salva fide, hoc est, quod suo sanguine Deus redemerit omnes quos voluerit, et nulli sint redempti nisi quos redemerit, ita causam in medio relinquimus, ut si quilibet eundem sanguinem Redemptoris prodesse aliquid etiam per-

(a) *Non ut voluimus*. Epist. 30 : « Præmonstratis verbis, super quorum sententia non ut voluimus, sed ut valuimus, diutule locuti sumus. »

(b) *Salva fide*. « Quoniam de eisdem quæstionibus

diversa sentire, » ut in epistola 30 dicit Lupus. « quousque contra fidem non est, aut nulla aut parva culpa est. »

ditis valeant demonstrare, non solum resistamus nihil, verum **244** etiam libenter in eorum sententiam transeamus. Nam si sol cæcos, quanquam non illuminat, tamen fovet, cur non potentior sol, etsi non salvat suo merito excæcos atque damnatos, tanti pretii merito minus puniat? Si tamen hoc admittat consilii ejus benevolentia, cui canitur: *Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus (Psal. CXLIV)*. Sed huic opinioni videtur Apostolus refragari, ubi ait: *Ego Paulus dico vobis, quia si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit (Gal. III)*. Nam si nihil proderit Christus baptizatis qui etiam Spiritum sanctum acceperint, sicut idem Apostolus declarat his verbis: *Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei (Gal. V)*? Si, inquam, nihil proderit Christus talibus baptizatis a fide resiliens, quemadmodum proderit aliquid baptizatis et relapsis in crimina nec correctis et quibusque in infidelitate defunctis? Verum ne me irridendum et respuendum pronuntient quibus placet omnes sive bonos sive malos indifferenter a Christo redemptos,

A ponam unum quod cum eis faciat testimonium, et eos omnes, ut opinor, in gratiam reducere. Joannes Constantinopolitanus, doctrina et sanctitate juxta insignis episcopus, ut gratia Dei pro omnibus gustaverit mortem, quod supra jam posui, sic exposuit, qualiter gratia Dei pro omnibus gustaverit mortem, non pro fidelibus tantum, sed pro mundo universo. Et ipse quidem pro omnibus mortuus est. Quid autem si non omnes credunt? Ille quod suum erat implevit. » Eligat sane, superioribus acute consideratis, unusquisque quod optimum ei Deus occulta inspiratione suggesserit, aut magistra ejus Scriptura manifesta ratione protulerit.

245 Hæc habui quæ de tribus non spernendis quæstionibus dicerem, atque utinam tam proficue quam prolixè. Quæ si cognoscere non fastidierint studiosi, quanquam approbare non possint obtusam incultamque meam disputationem, tamen quando volentibus quod utile putavi benevole cognoscendum exposui, non improbabunt, credo, talem scilicet volentem prodesse devotionem.

B. SERVATI LUPI

FERRARIENSIS ABBATIS

246 COLLECTANEUM DE TRIBUS QUÆSTIONIBUS

Multis laudabiliter studiosis desiderantibus cognoscere ipsis auctorum verbis quem exitum habeant quæstiones de prædestinatione ac libero arbitrio, necnon de redemptione sanguinis Christi, fideliter morem gessi; ut et pie quærentium eruditio largiente Dei gratia capiat incrementum, et diversa sententiarum contradictio mitigetur. Nec aspernabitur benevolus et prudens lector, si deferam per quos profeci et proficio doctores, vel si eorum assignatis obscurioribus sententiis aliquid lucis infundam, cum eorum honoris mecum habere debeat considerationem, et facillime possit advertere, (a) non ostentationis vanitate, sed ostendendæ veritatis voto, me deprehensa monstrare. Jam itaque narratio propositum exsequatur.

(b) Cælestinus papa beatum Augustinum his verbis commendat (*epist. 8, ad episcopos Galliarum*). « Augustinum sanctæ recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistrae suspitionis saltem rumor aspersit. Quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter magistros **247** etiam a meis decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote qui ubique cunctis et

(a) *Non ostentat. vanitate.* In epistola 128: « Nec, ut quidam suspicari se simulant, inaniter, hoc est, vanæ gloriæ studio cupio innotescere.... sed asserendæ veritatis intuitu, » etc.

C amori fuerit et honori. » Hic (c) clarissimus doctor, sedis apostolicæ tanto præconio laudatus, in libro ad Laurentium de Fide, Spe, et Charitate, quem jam episcopus et senex edidit, prædestinatos bonos et malos ita insinuat (*Enchiridii cap. 100*). « Hæc sunt, inquit, magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus, et tam sapienter exquisita, ut cum angelica et humana creatura peccasset, id est, non quod ille, sed quod voluit ipsa fecisset, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est quod Creator noluit, impletet ipse quod voluit, bene utens et malis, tanquam summe bonus, ad eorum damnationem quos juste prædestinavit ad pœnam, et ad eorum salutem quos benigne prædestinavit ad gloriam. »

D Idem in ultimo de Civitate Dei libro, quem jam episcopus composuit, expresserat (*lib. XXII, cap. 24, sub finem*). « Hæc, inquit, omnia miserorum sunt damnatorumque solatia, non præmia beatorum. Quæ igitur illa sunt, si tot et alia ac tanta sunt ista? Quid dabit eis quos prædestinavit ad vitam, qui hæc dedit etiam eis quos prædestinavit ad mortem? » In penultimo autem ejusdem tam elaborati et mirandi operis libro sic docuerat: Hæc causa qua fit ut nunc

(b) *Cælest. papa.* Eundem locum affert in libro de tribus Quæstionibus, pag. 237.

(c) *Clarissimus doctor.* Loquitur de Augustino, quem clarissimum auctorem vocat in epistola 30.